



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

12. Accepimus literas &c. Instructio Papæ Eugenii ad suos Nuntios, missos
ad Dietam Francofurti coactam, ad eligendum Imperatorem. Anno 1439.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1438.

hortatur atque requirimus, ut ad dietam quam in responfione prædicta postulavimus, quæ postea apud Nuringam ordinata est, personaliter te conferre velis, & juxta tuam & progenitorum tuorum fidem atque devotionem Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritati favere, ac Justitiæ & Innocentiæ nostræ assistere studeas, quemadmodum plenè confidimus, atque speramus, ut per tuam & aliorum Principum assistentiam pestiferum illud & inveteratum schisma in natione Germaniæ tantis tamque piis laboribus extinctum, paucorum quorundam hominum odio & ambitione non solum in eadem Natione non renovetur, sed pax detur Ecclesiæ, & unitas maneat illibata, super quibus tuæ Devotioni latius dicit dilectus Filius Gerardus Sacerdos Canonicus Sancti Stephani Moguntinus, Familiaris noster.

Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ, Millefimo quadringentesimo tricesimo octavo, quarto Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno octavo.

L. de Ricciis.

XII.
Ex Ibid.

Instructio Papæ Eugenii ad suos Nuntios, missos ad Dietam Francofurti coactam, ad eligendum Imperatorem. Anno 1439.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Nicolao de Casa Præposito Monasterii in Meynselt, & Jacobo de Oratoribus Canonico Ferrariensi Nunciis nostris, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Accipimus Litteras cujuscumque vestræ, laudamusque prudentiam & diligentiam vestram in cunctis statum & honorem nostrum & Sedis Apostolicæ concernentibus. Commendantes pariter Cedulam illam per vos exhibitam Electoribus vigore Litterarum nostrarum, quas de Credentia habebatis, tanquam juxta mentem nostram bene & prudenter conceptam. Quæ scribitis de Dieta apud Frankfordiam tenenda in die Conversionis beati Pauli pro Electione Regis Romanorum intelleximus, Deumque oramus, ut talem eligi permittat, qui & possit & velit Sanctam Dei Ecclesiam, prout tenebitur, defendere. Spem tamen in Dei misericordia & in Electorum prudentia habemus, talem eligi, qualem Ecclesiæ & Religionis Christianæ necessitas postulat. Volumusque, ut quam primum Electio facta fuerit, eam nobis per nuncium proprium illico nunciatis, & si præsens erit electus si absens, ad ipsum vos personaliter conferatis simul cum dilecto Filio nostro Cardinali Sancti Vitalis Augustensi nuncupato, cui etiam super hoc scribimus, si aderit in ipsa Dieta dictus Cardinalis; Alioquin vos dictum adeuntes Electum congratulabimini secum de hujusmodi assumptione, & illa eadem apud ipsum promovebitis, quæ ex nostra commissione apud Electores pridem promovistis, sumendo ex litteris nostris & cedula vestra rationes & alias prout dictaverit ingenium afferendo. Conveniet verò in primis secum & cum suis Consiliariis agi, ut pro defensione Sedis Apostolicæ, à qua sola jus Imperii Romani fuit in Germanos translatum, velit, quemadmodum tenetur, viriliter laborare. Et cum Nos ac Sedem Apostolicam in cunctis & honorem suum concernentibus illi amplè obtuleritis, persuadebitis eidem atque Consiliariis suis, ut morem imitatus ipse Electus aliorum qui hætenus in Romanorum Reges electi fuerunt, suam Electionem per suas lit-

teras nobis intimet, Suadebitisque pariter, ut mittat Decretum Electionis pro confirmatione à nobis juxta formam juris obtinenda. Nec ab ipso Electo, quocumque proficiatur, aliqua ratione discedatis, sed illum quocumque iverit secuti quotidie & in Missis & alibi visitetis ipsum continud, & suos de justitia nostra & Basiliensi pravitate ac de illa ambitione, impressione, coactione praticis, notariæque impudentia, quibus nefariè usus Sabaudia Dux in Idolum eligi quæsierit, plenariè informantes, narrantesque è contra, quam magnifica & gloriosa fuerunt opera, quæ auctore Domino nostrà impensa, pro qua nullum oneravimus in Græcorum atque Armenorum reductione, effecimus, quo in sermone dicendum erit de numerositate populorum utriusque gentis noviter reductæ, quodque non solum in hac tali operatione requievimus, sed insuper Græcis post factam unionem obtulimus multa & ampla subsidia mari ac terra eorum Imperatori exhibenda Turcis ex Europa & Græcia expellendis. Cujus rei causâ claræ memoriæ Albertum Regem Romanorum defunctum requisiveramus, ut huic rei intendens operamque dans pararet exercitum contra Teucros in tempore ducendum. Nam Nos etiam constitueramus magnam classem cum auxilio Principum Christianorum eodem in tempore paratam habere dandam prædicto Græcorum Imperatori, qui ex partibus Constantinopolitanis contra dictos Teucros exercitum duxisset. Accommodè item tunc dicere potestis de periculis, quæ per mortem prædicti Regis imminent Hungariæ à Barbaris; Ex tam multis concludetis, oportere, ut Electus ipse tanquam Advocatus & Defensor Ecclesiæ viriliter se accingat ad protegendum Christianitatem; Ceterum ibitis quam primum ad Dietam Frankfordiæ, ubi postquam negotium vobis commissum promoveritis, instare debetis tam apud Electores quam alios Principes in dicta dieta convenientes, ut responsio vobis detur in scriptis super litteris Apostolicis, quas tu Jacobo tulisti, & super cedula per ambos exhibita, Insuperque plenariè Cardinalem Augustensem de omnibus per vos promotis & dietam promovendis, quem vobis aditutum non dubitamus usque ad felicem hujus rei expeditionem. Quod reliquum est misimus vobis pridie decretum. *Moses*, & nunc transmittimus aliud de Armenorum reductione, vos curare debetis, ut quæcumque in dies fiant scribi digna celeriter ad nos perferantur quam diligenter à vobis scripta, pariterque scribatis quid à vobis oportere fieri censeatis.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millefimo quadringentesimo tricesimo nono Quarto Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Nonno.

D. Palavicinus.

Confirmat Privilegia Universitatis Pataviæ ad instar Parisiensis Anno 1439.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Dum intra arcana nostræ mentis solerti meditatione recolimus, quantum ad Populum nostræ sollicitudini commissum Remque publicam debitè regendam viri litterarum scientia docti

confe-

ANNO
1439.XIII.
Ex Hist. Univ. Bur-
lei Tom.
5. P. 447.